



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **AD FIRMIORES** NUNTIATURA IN REPUBLICA AFRICAE
AUSTRALIS ERIGITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ad firmiores magisque frugiferas reddendas publicae
necessitudinis rationes, quae inter Apostolicam Sedem et Rempublicam Africae Australis intercedunt, nec non ad aptius
providendum simul catholicae Ecclesiae regimini atque profectui in ilia Natione, legationis officium ad elatiorem gradum
evehere opportunum censuimus. Itaque certa scientia ac matura deliberatione, harum Litterarum vi Nostraque
auctoritate, Apostolicam illic Delegationem ad statum Nuntiaturae Apostolicae attollimus, quae sedem habebit in urbe
Pretoria, cunctis pariter additis iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis quae ad huiusmodi Pontificias
Legationes pertinent, praesertim ad regiones illas, quae a Congregatione pro Gentium Evangelizatione curantur,
contrariis quibuslibet rebus minime obsistentibus. His autem statutis, magna Nos tenet spes res ibidem feliciorem
ingressuras cursum, unde experiantur cives religionis humanitatisque progressum et congruentem prosperitatem. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Martii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri sexto
decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana